

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 19 (1905)

Artikel: Dokumente
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762009>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 13.03.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

DOKUMENTE.



I.

**Breve Pius X. an die römische Akademie des
hl. Thomas von Aquino.**

Pius PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

In praecipuis laudibus Leonis XIII. fel. rec. Decessoris Nostri, quisque aequus rerum aestimator hoc ponit, quod is adolescentis Cleri studia ordinare convenienter temporibus aggressus, Sancti Thomae Aquinatis disciplinam in primis restaurandam summa contentione curaverit. Etenim novo ingeniorum cursu commotus, quum videret genera quaedam philosophandi ac de gravioribus doctrinis disputandi invalescere, quae catholicae veritati nequaquam congruerent, mature occurrendum periculo censuit, quod inde alumnis sacrorum impenderet; eo magis quod statam rationem studiorum, Ecclesiae iudicio ac saeculorum usu probatam, animadverterat plurifariam ex cupidine recentiora consecrandi defecisse. Itaque institutis praeceptisque philosophiae christianae ac theologiae Ducem Magistrumque suum restituit Doctorem Angelicum, cuius divinum ingenium arma elaborasset ad tuendam veritatem multiplicesque errores hac etiam aetate profligandos per quam idonea: siquidem quae, nati ad utilitatem omnium temporum, sancti Patres Doctoresque Ecclesiae tradiderunt principia sapientiae, ea nemo Thomâ aptius, colligendo ex eorum scriptis, composuit, nemo luculentius illustravit.

Haudquaquam tamen Pontifex bonas scientiae accessiones, quas hodierna pareret studiorum agitatio, neglexit; quin imo, ratus clericos non posse digne suum tenere locum, nisi apparitiore quodam doctrinae comœatu instruerentur, idcirco eorum de gravioribus rebus institutionem opportunis eruditionis incrementis ornatam voluit.

Iamvero ad fovendam, quam Encyclicis litteris *Aeterni Patris* indixerat, instaurationem disciplinae Thomisticae, subinde in Urbe Roma, utpote quae catholico orbi hoc etiam in genere exemplo deberet esse, propriam Academiam instituit, a Sancto Thoma Aquinate eam nuncupans, cui propositum esset explicare, tueri, propagare doctrinam, praesertim de philosophia, Angelici Doctoris Academiam ipsam annuis redditibus, qui satis essent ad stabilitatem eius confirmandam, munificus auxit. Eidem parem, quae ceteris vel Athenaeis vel Lyceis magnis attributa esset, attribuit facultatem promovendi ad doctoris in philosophia gradum suos alumnos, qui emenso studiorum curriculo laudabile scientiae specimen sollemni periculo dedissent. Denique anno MDCCCXCV, statuta, quae Academiae ad tempus praescripserat, temperando, certas ei leges, quas diutinum experimentum commodas fore suasisset, in perpetuum dixit.

Ad Nos quod attinet, quando Pontificatus Noster incidit in tempora, traditae a patribus sapientiae inimica fortasse magis, quam unquam antea, omnino oportere ducimus, ut quae Decessor illustris de cultu philosophiae doctrinaeque Thomisticae constituisset, ea religiosissime servanda, atque etiam in spem uberiorum fructuum provehenda curemus. Huius rei gratiâ, romanam a Sancto Thoma Academiam, quae in ceteris id genus institutis principem sibi locum iure vindicat, uti peculiari quadam Leonis floruit, similiter Nostrâ posthac florere providentia volumus.

Equidem novimus, ex eo coetu sodales quam diligenter utiliterque in mandata sibi provincia versari consueverint, vel Aquinatis sententiam doctis commentariis illustrando, vel eius cogitata evolvendo atque ex principiis ipsius nova investigando, vel eiusdem trutinâ pensando recentiorum placita philosophorum; proptereaque gratulamur eis libenter, quod germanas philosophiae progressionem non mediocriter adiuvent. Verum ne nobilissimae contentioni diuturnitas remissionem afferat, magnopere cupimus, ut voce et auctoritate Nostra spiritus sumant etiam alacriores, ac tamquam renovatis auspiciis in propositum incumbant. Quae tamen cohortatio non ad hos tantummodo spectet, sed pertineat, uti debet, ad omnes, quicumque in catholicis orbis terrarum scholis philosophiam tradunt; nimirum curae habeant, a via et ratione Aquinatis nunquam discedere,

in eamdemque quotidie studiosius insistant. Vehementer autem universis auctores sumus, ut sollertiam laboresque suos conferant maxime ad coercendam pro virili parte communem illam rationis fideique pestem, quae longe lateque serpit: *neo-rationalismum* dicimus, cuius ne perniciosos afflatus sacra praesertim iuventus vel minimum sentiat, omni ope atque opera providendum est.

Ceterum statuta, bona, privilegia, iura quae Decessor Noster Academiae romanae a Sancto Thoma dedit et attribuit, ea Nos omnia et singula rata et firma esse volumus et iubemus; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII mensis Ianuarii, festo S. Raymundi de Peñafort, an. MDCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. † S.

Alois. Card. Macchi.

II.

Pius PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Aþlicam benedictionem. Cum ex amplissimo Antistitis Eistetten. suffragio exploratum compertumque habeamus, te doctrinae copia non minus quam religionis studio florentem, tum in philosophicis disciplinis tradendis, tum in amplissimis eccl̄icis ministerii officiis scite naviterque explendis luculenter iugiter exhibuisse pietatis, eruditionis, prudentiae, consilii ac provehendae Catholicae fidei zeli testimonia, dignum te apprime existimavimus qui tantis non impar meritis praemium feras. Quare te a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque eccl̄icis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, hisce Literis Antistitem Urbanum idest domus Pontificalis Praesulem facimus, eligimus atque renuntiamus. Proinde tibi, Dilecte Fili, concedimus, ut violaceas vestes induere ac in Romana etiam Curia lineum amiculum sive Rochetum gestare licite possis ac valeas, utque utaris, fruaris singulis quibusque honoribus, privilegiis, praerogativis, indultis quibus alii eadem ecclesiastica dignitate aucti fruuntur, utuntur vel uti, frui possunt ac poterunt. Non obstan. contrariis quibuscumque. Datum

Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII Martii
Anno Primo MDCCCIV Pontificatus Nostri.

(Sig. Pius X Pont. Max.)

Alois. Card. Macchi.

Dilecto filio Michaeli Glossner Sacerdoti.

III.

Pius PP. X.

Dilecte fili, salutem et Aþlicam benedictionem. Eximia pietatis et doctrinae laus, quae praetergressa Vindobonae fines ad Urbem usque provenit; studium tuum in instituenda ad sacras disciplinas iuventute; observantia tua erga Nos et hanc Aþlicam Sedem, suffragante Antistite tuo, persuadent Nobis, ut te ad eccliam dignitatem evehamus, quae Nostram in te benevolentiam luculente testatur. Quare te a quibusvis eccliam sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, his litteris, te Pontificalis Domus Praesulem facimus, constituimus, renuntiamus. Tibi proinde concedimus ut violaceam vestem, et in Romana etiam Curia lineum amiculum manicatum, vulgo dictum „Rocchetto“, tibi licite possis induere; utque utaris, fruaris singulis quibusque iuribus, honoribus, privilegiis, quibus alii eadem dignitate aucti utuntur et fruuntur. Non obstan. contrar. quibque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII. Martii MCMIV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

(Sig. Pius X. Pont. Max.)

Alois. Card. Macchi.

Dilecto filio Ernesto Commer
Doctori Theologo in Lyceo Magno Vindobonensi.

